

M. ANTONII MURET PR.R. ORATIO IN FUNERE PAULI FOXII ARCHIEPISCOPI...

Marc Antoine Muret



M· ANTONII MVRETI PRESB. ROM. IN. FVNERE PAVLI. FOXII. ARCHIEPISCOPI TOLOSANI. ORATIO





I vt opum ac potentiae, ſic eruditionis ac ſapientiae heredes a magnis ac praeclaris viris inſtitui poſſent, is demum Paulo Foxio idoneus laudator reperiretur, quemcumque ipſe ſibi earum virtutum ſucceſſorem eſſe voluiſſet. Nã nec in quo amplior & vberior omnium laudandarum artium ſeges efflorucrit, nec in quo vis & copia dicendi maior, quàm in eo extiterit, ex omni memoria noſtra deligi quiſquam poteſt. Quo mihi maius ac difficilius onus impoſitum eſſe video, in hoc ornatiſſimo conſeſſu de laudibus ipſius verba faciendi: quod neque vnquam ſubire auſus eſſem, niſi & mea me multis ab hinc annis ſuſcepta aduerſus eum obſeruantia, vt id facerem, adduxiſſet, & eorum, quorum imperium detrectare nõ poteram, auctoritas coegiſſet: neque nunc ei me ferendo parẽ fore conſiderem, niſi mihi, quod vix dictu credibile eſt, ipſa leuamento ac ſolatio eſſet difficultas. Nam ſi quẽquam alium de Paulo Foxio pro ipſius dignitate dicere poſſe exiſtimaſſẽ, valde me puderet in eum locũ conſcendiſſe, vnde nihil aliud uiderer praeſtitiſſe, quam vt ſummi viri laudes inopia dicendi detererẽ. nunc cum ſatis intelligam, quod mihi euenturum eſt, vt oratio mea longe multumque infra ipſius dignitatem iaceat, idem cuilibet quamlibet copioſo & exercitato homini euenturum fuiſſe, facile patior delectum potiſſimum eſſe me, cuius praedicatione quaſiq. praeconio, admirabilium ipſius in omni genere virtutum, ad eos, quibus illae forte minus notae fuiſſent, qualiſcunque cognitio perueniret. Sed quoniã

& multa mihi ac præclara dicenda, & in vnius ſemihoræ curriculum omnia concludenda ſunt, ad res ipſas veniam, neque committam, vt ex tam breui tempore pars a me vlla in rebus non neceſſarijs conſumpta videatur. Primum igitur ſi generis nobilitas quidquam ad commendationem pertinet, vere hoc affirmare poſſumus, nõ multas gentes in vniuerſo terrarũ orbe reperiri, quæ cũ gente Foxia vel antiquitate vel rerũ geſtarũ gloria comparari queant. Quæ cùm ipſa per ſe nobiliſſima eſt, tũ hoc nobilior, quod cũ potentiſſimis regibus & imperatoribus multiplici ſe iampridẽ affinitate deuinxit. Nã vt vetuſtiora taceam, neq. illa repetam, quæ quingentos fere ab hinc annos à comitibus Foxijs geſta, & nobilium ſcriptorum conſignata monumentis, nulla vnquam oblitterabit aetas; his certè centum proximis annis tres ex gente Foxia nobiles ac potentes reginae extiterunt. Earum prima eſt Anna, Iohannis Foxij Candalae comitis filia, quae Ladiſlao Bohemiae & Vngariae regi in matrimonium collocata, filiã ex eo ſibi cognominem ſuſtulit, vxorem poſtea Imperatoris Ferdinandi, matrẽ Imperatoris Maximiliani, auiam eius qui nunc feliciter impe rat Rodolphi Secundo loco nominabo Catharinam, Gaſtonis quinti filiam, Reginã Nauarrae, quae ad regnũ, in quod Franciſco Phoebo fratri ſuo ſucceſſerat, dotale ad Iohannem Albretium detulit: quo ex matrimonio natus eſt Henricus rex, auus Henrici, à quo hodieque idem regnum hereditario iure obtinetur. Sed & illius inuicti Gaſtonis, duci Nemorẽſis, qui dum vixit, terror hoſtiũ Gallici nominis fuit, qui fulminis in morem hoſtiles turmas diſijcere, qui quacunque incedebat, victoriam in manibus geſtare videbatur, qui ſemper vincere aſſuetus, poſtremo ad Rauennã, dũ pro Lodouico XII. auunculo ſuo fortiſſime dimicat, etiam moriens vicit, eius igitur Gaſtonis ſororem, Germanam nomine, Ferdinandi Caſtellae regis matrimonium tenuiſſe, notiſſimum eſt. Neque hoc loco reticẽda eſt Margarita Foxia Gaſtonis quarti filia, quae Franciſco Duci Britanniae nupta, Annam ex eo ſuſcepit, Caroli octaui primum deinde etiam Ludouici duodecimi vxorem,

ex qua

ex qua nata est Claudia vxor Francisci primi, mater Henrici secundi, auia eius, qui hodie regnat, & vt speramus ac cupimus; diutissime ac felicissime regnabit, Henrici. Sed aut hæc satis sunt ad ostendendam summam nobilitatem gentis Foxiæ, aut non video, quid satis esse possit. Ex hac tam illustri gente natus est Paulus Foxius anno Christi CIↃ IↃ XXVIII. patre Iohanne Carmanij comite, matre Magdalena Caupenia, nobilissimus quidem vtraque stirpe; sed ingentem virtute sua cumulum ad veterem suorum gloriam additurus. Natus autem est ea non oris modo ac vultus, sed totius corporis pulchritudine, vt ex ipso aspectu imago quædam ingenitæ virtutis atq. honestatis emicaret. Vidi equidem illum & adolescens adolescentulum, & vir virum, & senex senem: mea enim, quam illius, biennio fere grandior erat aetas: neque quenquam vnquã videre memini, in quem verius conueniret id quod Græci de Alcibiade prædicant, in omnibus aetatis partibus aeque gratam ac iucundam ipsius formam fuisse. Ingeniũ ad omnes honestas disciplinas docile, & ad eas percipiendas ita factum, vt quæ discebat, non tam accipere à magistris, quàm ipse ex se parere, & eorum reminisci quodammodo ac recordari, ex illa vetere Platonis sententia, videretur. Mores & iam tum in illa aetatis teneritate graues, seueri, cõpositi, & humanitatis tamen ac facilitatis condimento temperati: vt eos quibuscum vna erat, & incredibili quadã iucunditate conciliaret sibi, & exemplo suo, ab omni improbitate reuocaret. Denique vt in herbescenti segetum viriditate certa prope spes futuræ messis apparet, sic nemo tunc erat, qui non eum à puero, qualis postea fuit, talem facile augurarετur fore: iustum, integrum, continentem, abstinentem, amantem pacis ac concordiae, veracẽ, apertum, simplicem, ad omnium potius peccata, quam ad sua, conniuentem. Litterarum studia ita puerulus adamauit, itaq. in eo postea constanter perstitit, vt id vnum à publicis negotijs diuerticulum perpetuo habuerit, vt quicquid ab eis dabatur otij, semper in litteris omne consumpserit. Graecis igitur & Latinis litteris Lutetiae diligenter excultus, ibidemque in

 philo-

philoſophiae ſtudio magna cum cura exercitatus, Toloſam ſe ad percipiendam iuris prudentiam contulit, quo in ſtudio tantos breui tempore progreſſus fecit, vt adhuc adoleſcens publice de vtroq. iure magna cum omnium admiratione reſpõderit, eoſq. honores conſecutus, qui ampliſſimi, confecto ſtudiorum curriculo decerni ſolẽt, incredibili hominũ concurſu ius ciuile docuerit: cũ ad eũ inuſitata quadã dicẽdi facultate, de obſcuris dilucide, de confuſis ac perturbatis ordinatim ac diſpoſite, de dubijs enucleate diſſerentem, etiã ij qui diu magna cum laude docuerant, diſcendi cauſa quotidie conuenirent. Inde cum in aulam Regiam veniſſet, ita ſtatim Henrico ſecundo Regi, acri ac perſpicaci ingeniorum exiſtimatori, ita ceteris principibus viris carus atque acceptus fuit, vix vt quiſquã vnus vni carior foret, quàm vnus hic vniuerſis. Ipſe vero & officia obibat diligentiſſime, neq. vllum diem abire patiebatur, quo nõ & regem & ceteros principes ſalutaret, & cum eis ſermonẽ cõſereret, & eos quo opus erat deduceret ac reduceret: neq. tamen, quod pleriq. omnes aulici faciunt, reliquum tempus otioſe & inutiliter abſumebat: ſed repetitis de integro ſtudijs, Platonis praecipue & Ariſtotelis & Xenophontis ac Plutarchi & ceterorũ eiuſdem notae libros ad formandam vitã & ad rationem gubernandae reip. pertinentes ita ſtudioſe peruolutabat, vt eos in ſuccum ac ſanguinem ſuum conuerteret, omniaq. eorum praecepta in numerato haberet, quibus non ad inanem loquacitatem, ſed ad danda capiendaq. de rebus maximis conſilia tempeſtiue vteretur. Hiſtoriae quoque multum opere ac ſtudij dedit, gnarus illuſtria praecepta nulla re magis, quam exemplis illuſtribus confirmari. Itaque tum ſacram tum profanam, tum veterem tum nouam, tum domeſticam tum externam ita pertractauerat, vt, quacunque de re dicere ingreſſus eſſet, optimis & accommodatiſſimis exemplis ad confirmandum id quod volebat, nunquam non abundaret. Quid de temporum ratione, quid de terrarum ſitu, quid de populorum inſtitutis, ingenijs, moribus, foederibus, quid de quarundam gentium inter ſe aut naturali conſenſione, aut

odio

odio vetere & ingenito loquar? quarum ille omnium rerum tantam notitiam habuit,vt id vnum tota vita egisse videretur. His omnibus artibus instructus, cum iam ad obeundas legationes esset aptissimus,antequam tamen vllam earum suscipe ret,ex vsu suo fore ratus est,si in amplissimo Senatu Parisiensi per tempus aliquod versaretur, ibique disceptandis quotidie maximi momenti negotijs,firmiora & solidiora sapiētiae fun damenta iaceret, seq. illi praestantium virorum coetui quasi recoquendum & expoliendum daret.Qua ipsius voluntate co gnita, confestim Rex Henricus eum in consiliariorum numerum adlegit: in quo hic ei etiam praecipuus honos habitus est,quòd cum in eo senatu plura sint inter se distincta auditoria,quorum ad supremum non nisi gradatim peruenitur.Pau lo Foxio ius inter primos assidendi, dicendaeq. sententiae statim a principio tributum est. Ibi vero partam sibi antea iuris intelligentiā assiduo tractandorū negotiorū vsu ita perfecit, ac perpollit,vt breui tēpore principem inter iurisconsultos locum obtinuerit, cum eos quidem qui in libris consenuerant, seq. vni cognitioni dediderant, vsu & exercitatione rerum forensium: eos autem qui se magis ad vsum forensem applicuerant,eruditionis copia & magnitudine: aut potius,si aperte id quod res est,extincta iam inuidia,profiteri volumus, vtrosque vtraq. laude superaret. Prima inde legatio in Scotiā fuit, sub id tempus,quo Maria Regina Scotiae,mortuo Frācisco II. viro suo in regnum suum reuerterat. Vbi Foxius ea fundamēta iecit & tuēdi regni & conseruandae religionis,in quibus si postea pari fide ac consilio aedificatum esset: fortassis hodie neq. regina miserabiliter captiua teneretur, neque status religionis laboraret.Illinc cum redijsset, anno clↃ Ↄ LXI. legatus in Angliam missus est,vbi quadriennium integrum,tanta fide ac diligentia,tanta dexteritate ac prudentia, tāta perspicacitate ac sollertia in munere suo versatus est,vt magnis interea in Gallia motibus excitatis,nihil Angliae Regina struere, nihil moliri, nihil machinari potuerit ad conatus eorum qui a Deo & a Rege rebellauerāt adiuuādos,quod non ipse detexerit,ac

rit,ac

rit,ac patefecerit,regiq. indicauerit, eique viam ac rationem ostenderit,qua perniciosa Iezabelae cõsilia mature praeueniret & occuparet.Foxij praecipue consilio, occultisq. monitis, inita est a rege ratio extorquēdi ex Anglorum manibus celeberrimi ac munitissimi portus Gratiarum, quo illi sibi haereticorū opera tradito Galliam ab ea parte obsessam tenebant. Foxij consilio repertum est, quomodo Rex ea pactione quam Henricus secundus fecerat de restituendo Anglis intra certū tēpus Calitio solueretur:vtq. obsides eo nomine dati,dimidio eius pecuniae qua Rex depecisscendi facultatem dederat, redimerentur. Illud vero commemoratione dignissimum, quòd, quādiu in Anglia fuit,nullum vnquam diem intermisit,quin, quamlibet fremente Regina,sacrosanctum Missae sacrificium domi suae celebrari iusserit: ad quod clam auide conueniebat ac concurrebat,magna & Anglorum & exterorum catholicorum multitudo,quos ille fouebat,consolabatur, protegebat, quorum omnium arx,portus,praesidium,perfugium erat: a quibus non tantum mala multa imminentia depulit, sed effecit etiā,vt multa dāna,quae eis data erant,restituerētur. Ob quae merita,vbi primū ex Anglia reuertit,in sāctius atq. interius Regis consiliū adlectus est. Secuta legatio Veneta: in qua non tantū regi cumulatissime satis fecit,sed etiā illis sapiētissimis patribus,vniuersaeq. Venetae ciuitati iucūdissimā virtutū suarū memoriā reliquit. Cuius legationis expleto tēpore, cū in aulā redisset, inter togatos regis consiliarios,& trāquillis & turbidis rebus,vnus semper e principibus fuit:cum & doctrina,& vsu rerum,& prudentia excelleret: neque sibi quidquam,praeter sincerum Dei cultum, dignitatem & vtilitatem regiam, alleuationem vexati tot acerbitatibus populi, in dicenda sententia propositum haberet. Inde sub finem anni CIↃ IↃ LXXIII. legatus de rebus grauissimis & ad Summum Pontificē,& ad plerosq. Italiae principes quae sibi mandata erant,illa toties experta fide ac dexteritate transegit.Interea, cum Gallici tumultus utcumque compositi uiderētur, missus est a Rege ad Henricū Regem Nauarrae,qui tunc in Aquitania

nia erat, vt eum auctoritate ac praesentia sua in officio contineret. Quamquã autem vitari nullo modo potuit, quin anno post nouae turbae concitarentur, tantũ tamen Pauli Foxij virtute perfectum est, vt, cum, quibuscunq. alijs in locis haereticorum factio potentior erat, diuini cultus ne vestigia quidem relinquerentur, euerterentur templa, sacerdotes crudelissime contrucidarentur: Aginni, quae vrbs, secundum Burdigalam, Aquitaniae principatũ obtinet, & in toto eo tractu, rebus diuinis libere opera daretur, starent sarta tecta templa, sacerdotes ab omni contumelia & iniuria tuti forent: sacrae ac catholicae contiones nunquam intermitterentur: cum & publice & priuatim Foxius catholicis animos faceret, eosque ad bene sperandũ excitaretur: ita vt eorum protector, conseruator, parens vno omnium consensu haberetur. Scripsit ea de re clerus Aginnensis ad virum summa dignitate praeditum Carolum Rambolietũ Cardinalẽ, petens ab eos, vt haec omnia summo Pontifici diligenter exponeret, eiq. omni adseueratione confirmaret, quicquid templorum, quicquid sacerdotum ceterorumq, diuino cultui mancipatorum hominum in ea prouincia maneret, id omne secundum Deum, vnius Pauli Foxij virtuti auctoritatiq. deberi. Saepe igitur in magnũ vitae discrimen adductus est, cum iniquo animo ferrent milites à templis depraedandis cupiditatẽ, a sacerdotibus mactandis crudelitatem suam vnius hominis auctoritate prohiberi. Multa praetereo memoratu dignissima: sed mihi non tam orationis conquirenda copia est, quàm vestra satietas refugienda. Decernitur ei a Rege legatio ad summum Pontificem: ita tamen, vt, priusquã in eam proficisceretur, vna cum Catharina Regis matre Aquitaniam, Galliam Narbonensem, Prouinciam, Allobroges obire, in singulis oppidis consistere, ac conuentus agere, resque perturbatas, quantum temporum ratio ferret, optime ac commodissime componere iuberetur. Quid ego nunc dicã, quàm salutare iter illud fuerit, aut quantam afflictis rebus leuationẽ attulerit? Catholica religio multis in locis, à quibus exulabat, restituta. Bona sua, & exercendorum munerũ suorum

rum facultas ecclesiae ministris reddita. multorũ animi, qui nutabant,confirmati. multa munita loca in Regis potestatem redacta. auditae populi querimoniae.adhibita remedia multis malis quae superiorũ temporũ calamitate importata erãt. Quarum omnium rerum laus Deo primum,deinde Pauli Foxij prudẽtiae magna ex parte tribuenda est. Regina Regis matre Lugdunum vsq. deducta,Romam iter cepit: vbi ita se moresq. suos,totamq. anteactam vitam Pontifici probauit,vt ab eo decoratus sit Archiepiscopatu Tolosano, ad quẽ ipse multis ante annis miro bonorum studio efflagitabatur. Neq. dici potest in obeundo legati munere quantopere & Pontifici, & Regi,& omnibus summis pariter ac infimis gratus acceptusq. fuerit,integritate vitae, summa vultus ac sermonis comitate, promptissimo ad opem ferendam animo, siue quis auxilio, siue consilio indigeret, Quamquam autem nulla ei pars aetatis a magnis memorabilibusq. rebus vacauerat, exigua tamẽ omnia videri poterant, praeut ea erant, quae agitabat animo, si quando in Galliam redire, & ecclesiam sibi creditã praesens gubernare potuisset. Imbiberat enim penitus in mandata sibi prouincia ad Tridentini consilij praescriptum omnia reuocare & exigere,omnem munerum ecclesiasticorum nundinationem,faedasq. illas sed nimis vsitatas eorum fiduciarias mancipationes funditus tollere,dissolutos ac diffluentes ecclesiasticorum mores seueris legibus coercera ac constringere, clericorũ seminaria instituere, templa euersa erigere, ruinosa fulcire,reditus ecclesiasticos iniustis possessoribus eripere,Xenodochiorum ac collegiorum praecipuam curam suscipere, & perficere vt eorum qui illa fundassent atq. instituissent, mens ac voluntas diligenter ac religiose obseruaretur,omnia denique summo studio facere quae ad boni & inculpati praesulis officium pertinerent. Sed o spes hominum fragiles, o fallacia consilia.Haec eum cum maxime meditantem,& ea vna in cogitatione noctes diesque defixum, morbus grauis & mortifer occupauit. Cuius primam impressionem expertus est adstans ad aram, cum, sollemni die, quanquam principium

quod-

quoddam leuiter commotae valetudinis ſentiens, abſtinere tamen a re diuina facienda noluiſſet. quem cum & medicorum cura, & ſingulari victus temperantia depuliſſe iam videretur, haud ita multo poſt, cum ad hominis Galli de magna re ſua periclitantis cauſam adiuuandam, vt erat in omnes officioſiſſimus, iniquo & alieno tempore accurriſſet, domum vt rediјt laſſus, denuo decubuit: nec alius ei poſtea morbi quam vitae finis fuit. Quo autem ille animo morbum ſaeuientem, quo mortem certam iam & imminentem tulit? quot quantaſq. moribundus animi vere Chriſtiani ſignificationes dedit? Qua ſummiſſione animi peccata ſua confeſſus, eorum ſibi veniam a Deo & à Pontifice dari petijt? Qua veneratione ſacroſanctum Chriſti corpus excepit? Quam placide ac patienter ſacro oleo perunctus ac delibutus eſt? Quibus omnibus ſacramentis armatus ac munitus, cum toto morbi tempore, non tantum quamdiu ſui compos erat, ſed etiam cum propter vim morbi in capite graſſantem aliquo mentis errore afficeretur, ſic quoq. tamen nihil aliud quàm Chriſtum, Chriſtum Deum ſuum, in ore perpetuo habuiſſet, ad eum quem ſpirabat vnum, quo fidebat vno, vt quidem ſperamus ac cupimus, euolauit. Hem Paule Foxi, quãtam quãmq. iuſtã multis maerendi occaſionem mortẽ tua obtuliſti, Etſi tua quidem cauſa, nihil eſt quod lugeamus. Tu praeclare ac laudabiliter vitae curſum confeciſti. Tu ita maximis honoribus perfunctus es, vt te ſemper homines maioribus dignũ iudicarent. Tu auſam laceſſere te inuidiã virtute conſtantiaq. ſuperaſti. Tu, quod ii, qui olim habiti ſunt ſapientiſſimi, in aliqua felicitatis parte poſuerũt, in ipſo ſenectutis limine ereptus, impendẽtia deterioris aetatis incommoda morte vitaſti. Is cuius tu iudicium maximi faciebas Gregorius Pont. Max. & vitam tuam ſumme probauit, & mortem non modo honorificentiſſimis verbis, ſed etiam lacrimis proſecutus eſt. Omnium erga te ordinum caritatem ſatis haec ipſa principum virorum, quae ad cohoneſtãdum funus tuum conuenit, multitudo declarat. At Toloſae do tendum, quae ſimilẽ tui paſtorem nunquam fortaſſis habitu-

ra;

ta, prius te spoliata est, quam vigilantiae tuae fructum vllum percipere posset. Dolendum Regi. qui tam duris temporibus, tanta fide, tanta prudentia praeditum consiliarium amiserit. Dolendum ecclesiae, quae labantibus in Gallia rebus suis magnam auxilij spem in auctoritate tua collocarat. Sed omnibus in rebus diuinae voluntati acquiescendum est. Nos, quod vnum tibi praestare possumus, & colemus memoriam tui, & te fusis ex animo precibus adiuuare conabimur, sperantes fore, vt ipsi vicissim tuis precibus adiuuemur.

F I N I S.

